



Verum esto corpuscula evaporantia, & alia quaecunq; heterogenea aeri immista minimi quid ponderis addant, neutiquam tamen totum ejusdem augmentum efficiunt, quum propter suam raritatem, tenuitatem, ac nimiam expansionem ipso aere sint leviora: aer quippe ea sursum defert, ac suspensa tenet; necessario igitur aer est gravis, imo gravior istiusmodi particulis, alioquin eas sursum adtollere, ibique suspensas circumferre haut posset. Nonne & ipsi Peripatetici ex eo, quod aqua lignum sursum impellat, ac sustineat, eam ligno graviorem esse fatentur? cur ergo gravitatem aeri, quum eodem prorsus munere circa vapores, & corpuscula quæq; tenuia fungatur, denegare non cessant? mira sane res! ceterum aer est elasticus, seu dilatationis, ac compressionis capax, (§. 46.) atque adeo, si in recipiens aere saltem grossiori evacuatum aer communis denuo admittatur, vel etiam in ipso magis comprimatur, aer in aere gravare abs dubio poterit, atque in eo ponderari. Nec officit, quod aqua non gravet in aqua; ista quippe non est adeo elastica, ut per machinas arte factas comprimi, aut dilatari possit.

§. XLIX.

Quum itaque aer sit elasticus (§. 46.) & gravis, (§. 49.) pronò fluit alveo, eum vi alia corpora premendi esse præditum. Quod enim est elasticum, id, si fuerit compressum, tanta vi se expandere, atque in pristinum statum restituere nititur, quanta ea est, qua comprimitur; quod autem est grave, id eo ipso gravitat. Jam vero quod post sui compressionem se expandere, ac restituere nititur, quodque gravitat, id revera vi in alia corpora premendi est præditum.

E

§. L.